
VE
RI
TAS

HENRICI CAROLI ABR. EICHSTADII

THEOL. IVRIS VTR. ET PHILOS. D.

ELOQV. POES. ET LITT. ANTIQQ. PROF. P. O. ACAD. SENIORIS

DE CERTAMINIBVS CIVIVM LITTERARIIS HOC ANNO PERACTIS ET DE NOVIS CERTAMINVM ARGVMENTIS IN PROXIMVM ANNVM PROPOSITIS NARRATIO.

PRAEMISSA EST APOLOGIA

VRBIS ET AGRI IENENSIS ET VTRIVSQVE INCOLARVM.

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXLI.


HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

Circumspicienti mihi materiam prooemii, quod huic de civium nostrorum certaminibus narrationi ita praemitterem, ut et aptum esset temporibus, neque convalescenti ex gravi morbo nimis difficile tractatu, peropportune affertur „dissertatio inauguralis medico-practica“ (ita enim inscripta est) „exhibens decennium clinicum in Academia Ienensi inde ab anno MDCCCXXXI usque ad annum MDCCCXLI auspiciis Perill. D. Kieferi habitum.“ Eam dissertationem his ipsis diebus vir doctissimus, Carolus Augustus Weissius, Schaumburgico-Lippicus, publici iuris fecerat publiceque in aula Academiae defenderat hoc consilio, ut summos medicinae et chirurgiae honores rite consequeretur. Quam quum legere coepissem, nil prius aut magis advertit animum, quam singularis pietas, qua scriptor praeceptorem suum, virum praestantissimum et de Academia nostra praeclare merentem, veneratur, et summum quo eum complectitur studium: adverterunt etiam magnae laudes, quibus institutum eius clinicum prosequitur, cui ipse suae se artis peritiam debere profitetur. In quo quis non animum probum et gratum beneficiorumque acceptorum memorem lubens ac laetus agnoscat? Nam quo rarius nostra aetate inveniuntur,

qui a quibus profecerint, et quorum ex scholis institutisve in lucem prodierint, cum quadam benevolentia reminiscantur: eo magis laudandi sunt, si qui hodie in praeceptoribus observandis antiquam pietatem et fidem probant. Hanc igitur dissertationis illius maxime illustrem et laudabilem esse dotem existimo. Sed alia sunt in libello, quae vehementer displiceant. Non loquor de rebus medicis, quarum ego rudis iudicium medicis relinquo, a quibus ipsa edoceri nonnulla cupio, quae legenti mirationem fecerunt: quale hoc est, quod ille scripsit [1]) strumam, in vallibus Salanis frequentissimam, per annos primos, quibus institutum Kieserianum floruerit, plerumque pro morbo insanabili habitum esse, eiusque curationem non nisi a paucissimis, et fortuito, esse expetitam. Ego vero memini, ante triginta amplius annos eximium medicum, Ioannem Christianum Starkium I, Eius qui nunc Academiam nostram doctrina sua et meritis ornat, patrem, cuius institutum policlinicum, olim longe celeberrimum, Weissius non omisit illud quidem, sed non nisi obiter attigit, et mortalitatis rationem perangustis unius dumtaxat anni finibus inclusit [2]), quum de septem caeteris institutis multo plures annos enumeraverit, quorum ex numero morbi et mortes aestimentur, illum igitur Starkium memini Schützio, cuius valetudinem curabat, et mihi, Schützianarum aedium inquilino, saepe narrare, ingentem numerum mulierculararum, etiam ex plebe, de strumis suis valde sollicitarum, quotannis ad ipsum accurrere, quas prompta, ut solebat, et facili opera [3]) et domi et in clinico instituto ista sollicitudine liberabat. Sed haec, ut dixi, horumque similia nihil ad nos, nec dubitamus, quin Weissius egregia doctrinae medicae documenta, de

1) Pag. 27.
2) Pag. 24.
3) Cfr. *Stark's Handb. zur Kenntniss und Heilung inn. Krankheiten — vorzüglich aus eigenen Beobachtungen und Erfahrungen,* II. p. 642.

quibus indicare non possumus, in dissertatione ediderit: ad nos pertinent, quae de *regione Ienensi*, de *incolarum ratione* et de *eorum occupationibus* ita scripsit, ut vellem non scripsisset.

Nam quum ad hanc partem dissertationis [4]) legendo pervenissem, varie sum affectus. Primum mirabar, quid acciderit homini, quem laudari a multis audissem, et cui nostrates in prospera et adversa fortuna constanter affuissent, ut de rebus Ienensibus ea comminisceretur, quae si vera essent, domicilii Ienae collocati neminem non poeniteret. Deinde indignabar, quum cogitarem fata dissertationum academicarum, quae iam non, ut olim, intra urbis pomoeria cohiberentur, sed per morem ac legem permutationis, plerisque in Academiis receptam, longe lateque vagarentur, pervenirentque etiam ad eos, quorum in mentes vel credulitas vel invidia facillime irrepit. Denique recordabar, similem olim fortunam obtigisse Academiae Georgiae Augustae, cui tot essent mendaciuncula adspersa, ut orator illo tempore Gottingensis, Io. Matthias Gesnerus, quum de statu illius brevem et veram narrationem [5]) in publicum proponeret, malevolos obtrectatores fortiter repellendos putaret. „Non metuo, inquit, ne viri graves et sapientes plus fidei habeant rumusculis, partim ridiculis, partim malitiosis, quibus passim impetimur, quam narrationi hominis, qui, ne alia dicam, certe nolit sui mendacii tot conscios esse, qui redarguere illum et pudore suffundere possint. Iam de ipsius urbis, quae hospitium praebet academiae, situ, salubritate, descriptione, aggeribus, aedificiis novis, viis eleganter et commode stratis similibusque

4) Pag. 11. 12.

5) Haec est enim inscriptio libelli Gesneriani, primum seorsum editi, deinde etiam inserti eius Opusculis minoribus varii argumenti To. IV. p. 391 sqq.

rebus dicere nihil attineret, nisi rari olim peregrini huc venissent, et qui ante sex septem aut amplius annos Gottingam viderunt, talem solerent describere, qualem ipsi viderunt scilicet." At vero qui de rebus Ienensibus nuper scripsit, non est ille peregrinus, qui in transitu hanc regionem permearit, sed fuit videlicet civis academiae nostrae, qui multos in hac urbe annos commoratus, bona eius ipse percepit, magnisque in ea utilitatibus et opportunitatibus lubenter usus est. Quo magis decere arbitratus sum veteranum Professorem Ienensem, imitari Gesneri exemplum, et fortunarum suarum sedem, in qua dimidiatum prope saeculum exegit, ab iniquis criminationibus defendere. Itaque quum olim de *Academiae* Ienensis bonis scripserim, placuit nunc de bonis *regionis* et *urbis* aliquid scribere, ut, si qua ex opprobriis, in naturam loci eiusque incolas et accolas temere coniectis, vel offensio nata esset aequalium, vel invidia exterorum, utraque brevi et vera rerum narratione removeretur. Nec passus sum ab hoc proposito me abalienari, quum exstitissent difficultates quaedam, quae huic programmati edendo moram minitarentur. Scriptum enim sincero et grato adversus Ienam animo aut nunc erat vulgandum, quum recens adhuc esset dissertationis Weissianae memoria, aut perpetuo in scriniis relinquendum.

Persequar singula accusationis, qua Weissius Ienam adortus est, capita, in iisque enarrandis, quantum per Latinitatis rationem fieri potest, ipsa eius verba lectoribus reddam.

Primum igitur de situ loci et regione Ienensi ea retulit, quae profecto peregrinum nullum, si huic relationi fidem habeat, allicere possint, ut Ienam se conferat, ibique domicilium ponat, nec permovere queant parentes, ut filios, si libera est Academiae optio, Ienensi aëri et caelo committant. Orditur ab observationibus, quas medico-topographicas ap-

pellavit. Nam quum montes ex utraque vallis parte, imprimis ab occafu brumali, fatis praerupti faxis haud raro praecipitibus contineantur, montiumque quafi rami conis haud abfimiles in ipfam vallem promineant, inde fieri, ut multae exftent valles fecundariae minores, quarum fuperficies arida non nifi parvis tegatur lapidibus ex genere eorum, qui vocantur Mufchelkalk. Quas calces radiorum folis ope et ipfas quam maxime calefieri, et facile repercutere ipfos radios. Itaque aerem, qui a folo proximus fit, aeftatis tempore admodum effe calidum, eoque calidiorem, quo rariores plantae folis radios vel a folo prohibeant, vel quafi confumant. Quum vero calefactus aer extendatur, et propter vallis anguftias non nifi furfum verfus vertatur, in ipfa valle aerem non poffe non perpetuo in fublime provehi. Sed in adfcendentis aeris locum confeftim fuccedere tum montium aerem frigidiorem, qui ab utroque latere quafi defcendat in vacuum, tum Rothenfteinienfis regionis aerem et ipfum frigidiorem, propterea quod illic folum plantis magis obtegatur. Ergo perpetuum effe aeris motum, unde rheumatalgias creberrimas enafci. Aeftatis tempore Ienenfem vallem umbrarum refrigeratione omnino carere, quod aer inferior nimis calefiat per proximam foli calcem: pro moderata temperie, quae vernis (?) propria effe foleat, Ienae confeftim aeftatis calore homines paene enecari, et alia fequi quae morbos afferant. Ac fane tam longum Weiffius contexuit morborum indicem, ut, fi vera retulit, natura regionis et urbis, in qua habitamus, non poffit non maxime infalubris cenferi, quam exteri, fi fapiunt, cane peius et angui fugiant.

Ad metum, qui inde oriatur, animis eximendum fi uti liceret rationibus, communi iudicio popularique intelligentiae accommodatis, veftram obteftarer fidem, Cives olim Academiae noftrae, qui, quotquot fani va-

lentesque corpore Ienam venistis, ut ingenium excoleretis, uno omnes ore confitemini, iucundissimos vitae vestrae annos sine ullo valetudinis incommodo aut detrimento in hac esse urbe exactos. Ego quidem audivi complures, et ipsos adeo senes, ita loqui de Ienensi non tantum Academia, verum etiam regione et urbe, ut magno in haec loca, a se dudum relicta, studio inflammatos esse appareret, et in ipsis loquentium oculis ardor quidam iuvenilis amoris eluceret. Possunt etiam alia huius generis accusatori populariter opponi. Etenim quis sana mente praeditus credat fieri umquam potuisse, ut tali in urbe, qualem peregrinus quispiam ex Weissii descriptione sibi fingat necesse est, Goethius plures uno quoque anno menses, vel requiescens a labore, vel laborem litterato otio condiens, summa cum voluptate commoraretur; ut Schillerus in ea hortos sibi emeret, in quibus Goethio suo iunctus Musis litaret; ut Knebelius et Vossius, relictis iis urbibus, in quibus commode habitassent, ac neuter quidem ullo muneris vinculo Ienae adstrictus, proprias sibi aedes hic compararent? Num illi atque innumerabiles alii, qui nostram urbem maioribus et celebrioribus anteposuerunt, adeo fuere socordes, ut urbis situm regionisque rationem nihil curarent? Sed haec nimis vulgaria sunt. Praestat auctoritates afferre medicorum, qui tanto maiorem hac in re fidem merentur, quum, nemine non concedente, singulari oculorum et mentis acie instructi, ad observandi diligentiam plurimorum annorum usum atque experientiam adiunxerint. Io. Christianum Starkium II dico, ante aliquot annos acerba nobis morte ademptum, et Guil. Carolum Frid. Succovium, quem collegae superstitem Deus Academiae nostrae quam diutissime conservet. Hi duumviri, scholis clinicis apud nos publice constitutis praefecti, de re, quam quaerimus, hanc sententiam prodiderunt[6]:

---

6) *Historisch-topogr. Taschenbuch von Jena u. seiner Umgebung: herausgegeben von I. C. Zenker* (*Jen.* 1836. 8) p. 106.

„Obgleich Jena, von nahen und zum Theil hohen Bergen umgeben und in der Tiefe liegend, ein Thal-Klima hat, und ohnerachtet hier, wie in ganz Thüringen, die Witterung sehr veränderlich und wechselnd ist: so muss dennoch der Gesundheitszustand in dieser Stadt, in Vergleich mit anderen, selbst nahe liegenden, Orten als sehr günstig erscheinen. Es ergiebt sich dieses unter Anderem aus der schon von den früher hier lebenden Aerzten gemachten Erfahrung, welche auch wir in unserer drey und vierzigjährigen Praxis vollkommen bestätiget gefunden haben, dass Jena von bedeutenden und gefährlichen Epidemieen, selbst wenn sie in der Nähe herrschend und verheerend sind, nur selten heimgesucht wird, und dass epidemische Krankheiten, wenn sie auch nach Jena kommen, einen minder gefährlichen Charakter annehmen, und selten zu einer so grossen Ausbreitung gedeihen, als anderwärts, selbst als in den nahen Ortschaften. Als z. B. im Jahre 1810 zu Weimar und in dem Jahre 1830 in dem nur ¾ Stunden von hier entfernten Dorfe Zwätzen eine sehr gefahrvolle Nervenfieber-Epidemie herrschte, ist Jena davon gänzlich verschont geblieben. Eben so verhält es sich mit der Ruhr, mit den Masern, dem Scharlachfieber u. s. w., welche Krankheiten, wenn sie auch in den ganz nahe liegenden Städten und Dörfern in gefahrvoller Weise herrschend gewesen waren, dennoch sich in Jena entweder gar nicht, oder in weit gelinderer, minder gefährlicher Form und meistens nur sporadisch gezeigt haben.“

In universum non aliter pronunciavit [7]) vir artis medicae consultissi-

---

7) Eodem in libro Zenkeri pag. 309. Atque ex hoc libro, vix continere me potui, quin alia repeterem, quae Schroenius de caeli temperatione p. 160, Gustav. Succo-

mus, Ditericus Georgius Kieſerus, niſi quod in climatis, uti vocatur, Ienenſis ratione definienda tum ab duumviris illis, tum a Schroenio noſtro, viro harum rerum intelligentiſſimo, diſſentit. Itaque Kieſeri quoque ſententiam huc transferendam cenſeo:

„Wie überhaupt Thüringen zu den geſundeſten Gegenden Deutſchlands gehört, in welchem gegenwärtig die Population alle Jahre um 1/200 der Bevölkerung zunimmt, ſo genieſst Jena und die Vmgegend dieſe Salubrität im vorzüglichſten Grade und vor be-

---

vius et Wáckenroderus de aquarum ſalubritate p. 177 et 185, Zenkerus de Florae varietate regionisque amoenitate p. 187—286 disputarunt. Sed excluſus chartarum ſpatio, unum afferam ex Zenkeri disputatione locum (p. 261): de caeteris rogandi ſunt lectores, ut librum totum cum iis comparent atque componant, quae Weiſſius diſſeruit. Zenkeri haec ſunt verba: *Das Plateau der Berge, das tief eingeſchnittene, von Süd nach Oſt ſtreichende Saalthal mit ſeinen Nebenthälern, die angrenzende Sandgegend nach Roda und Cahla mit ausgedehnten herrlichen Schwarzwäldern, die überall hervorſprudelnden Quellen, die Steilheit der Felſen bedingen ein ganz beſonders warmes und gedeihliches Klima der Thäler. Während es auf den Höhen bedeutend kühl und zugig iſt, erreicht dagegen die Temperatur in den Vertiefungen eine an manchen Stellen kaum glaubliche Höhe.* His adiiciam alia quaedam. Summus ille Albertus Hallerus, qui a. 1742 Gottinga Ienam ſe contulerat, ut Henr. Bernhardi Ruppii, civis olim Academiae Ienenſis, Floram Ienenſem ſuis obſervationibus auctiorem atque emendatiorem ederet, in praefatione libri, qui Ienae 1745. 8 prodiit, haec ſcripſit: „Eſt ager Ienenſis et mire varia ſoli indole caelique temperie, et in quibusdam locis ſupra fidem aeſtuoſus, quum ſilvas abiegnas, Hercynicarum paene ſimiles, in proximo habeat. Gottingae nobis et calida aprica loca, et paludes, et prata montana, et abiegnae ſilvae deſunt.“ Denique, quae de regionis amoenitate ac ſitu urbis paſſim leguntur, in Annalibus Academiae Ienenſis p. IX ita ſunt ſummatim comprehenſa: „Non eſt oppidum noſtrum neque pomoerio extenſum, neque aedificiis ſplendidum, neque exquiſitis operibus ornatum, ſed caeli temperie ac ſalubritate excellens, fecundum ſolo ſituque adeo amoenum, ut tantum non Campaniae illas, a Plinio celebratas, virtutes referat. Nam fertiles ubivis ſunt campi, aprici colles, innoxii ſaltus, opaca nemora, munifica ſilvarum genera, benigni montium afflatus, mira frugum vitiumque fertilitas et praeter amnem Salam tot fontium ubertas, totam regionem perfundens, ut ſatis prudenter has ſibi ſedes iam olim delegerint monachi, genus hominum in vitae voluptates et oblectamenta efful̄ſiſſimum.“

nachbarten Städten, z. B. Weimar, ſich auszeichnend. Daher auch in Jena, einzelne Jahre, wo gefährliche Epidemieen herrſchten, ausgenommen, die Zahl der Gebornen die der Geſtorbenen überſteigt. — Das Klima iſt ein Berg-Klima, und der endemiſche Krankheitscharakter iſt im Allgemeinen der entzündliche. — Als eigenthümlich der Stadt Jena und der nächſten Umgegend ſcheint betrachtet werden zu können, daſs epidemiſche Krankheiten ſelten in groſser Ausdehnung und bedeutender Intenſität herrſchten, wenigſtens in den letzten 20 Jahren. Exanthematiſche Krankheiten, Varioloiden, Maſern, Scharlach, ſelbſt Nervenfieber, die ſporadiſch faſt ſtetig, epidemiſch zu Zeiten, in der Jenaer Gegend erſcheinen, und ebenſo Keuchhuſten, zeigen, ſobald ſie in das Saalthal herabſteigen, einen leichteren Charakter und weniger gefährlichen Verlauf.“

Poſtquam Weiſſius de regione Ienenſi more ſuo expoſuit, progreditur ad *incolas*; quorum *rationem vivendi* et *occupationes* non ſine magna iniquitate deſcribit. Primum refert de *ruſticis:* quos quum *pauperes* eſſe ait, equidem conſentirem, ſi paupertatem dixiſſet Romano vocabuli uſu, quo vehementer diſtat ab egeſtate et mendicitate. Sed perſuadere exteris voluit (nam populares melius ſciunt) ſummam ubivis regnare inopiam: deeſſe enim ditiores, quorum mercede inopes vivant, fructus ſolanos tuberoſos, panem et caſeum cibos eſſe quotidianos, vitam triſtiſſimam, adeo ut ipſe non raro viderit homines, qui vivi morientibus mortem inviderent. Ipſa illius verba repetii, ea quidem, quae intelligere potui. Nam quid illud ſit, quod adiecit, „neve merces ſolvenda ſit anxie curatur“, et quo pacto id fieri poſſit, quum ditiores deeſſe dicantur, quorum mercede vivant, fateor me non intelligere. In caeteris, quae attuli, magni eum vel erroris vel mendacii arguerem, ni medico para-

tam esse cernerem defensionem in officio, fumosa egenorum tuguria ruinosasque mendicorum casas perreptandi. Quod officium si praestitit, ac praestitisse puto, laudabiliter fecit, praeclareque functus est munere, quod in praefatione dissertationis profitetur, „medici celeberrimo clinico instituto assistentis primarii“: sed non debebat, quae in singulis et paucis observarat, illico pronunciare de omnibus; immo reminisci debebat, etiam inter rusticos nostros, in ipsis adeo pagis illis minus opulentis, quos propter peculiarem quamdam cerevisiae coctionem memorat, inveniri, qui non modo non sint obaerati, sed qui satis commode habitent, lauta supellectile utantur, hilariter vivant, et quorum in aedibus ne cives quidem academicos, hominum simplicitate delectatos et regionis amoenitate pellectos, nonnumquam deversari pudeat. Ne quid dicam de iis, qui liberaliore vitae cultu et elegantiore liberorum educatione suam ipsi satis testantur opulentiam. Numquamne ille apud alterutros fuit? Tantane semper assiduitate in litterarum studia incubuit, ut res rusticas prorsus non curaret? Laudarem, si eas res scribendo non attrectasset. Nam quae scripsit, pleraque falsa sunt, propterea quod ita semper loquitur de universis, ut nihil excipiat. Veluti, agriculturam propter montium sterilitatem parum quaestuosam esse, in ipsa fertilissima valle arationes raras reperiri, agris, quia Salae inundationibus obnoxii sint, dominos plerumque uti pro pratis, pratorum reditus uberiores fore et meliores, nisi agricolae, montium sterilitate coacti, arbores sibi necessarias in ipsis pratis pronerent. — At rusticus quilibet unius ambulationis sermone docere eum poterat, in regione nostra triplo vel quadruplo plus agrorum esse quam pratorum, in agris provenire egregiam copiam frumenti, praecipue secalis Cerealis, tritici sativi, hordei distichi, avenae, vigere etiam cultum cannabis et lini, neque in herbis pabularibus trifolium pratense, medicaginem sa-

tivam et hedyfarum onobrychin defiderari. Idem demonftrare ei poterat, in montanis vaccarum et boum maiorem fane et potiorem ufum effe, quam equorum, fed boves equosve non (uti fcripfit) numerari inter res inufitatas. Poterat exemplis propinquorum locorum comprobare, ex arboribus pomiferis, quarum beatiffima eft in valle noftra copia, lucri non *aliquid*, fed bona tempeftate plurimum ad poffeffores redundare, neque ex arboribus folum, verum etiam ex vinetis, utilitatem pariter atque fuavitatem percipi, denique olerum quoque incredibilem quamdam effe affluentiam, quae tum in finitimas urbes, imprimis Vimariam, perferantur affidue, tum plauftrorum vectatione ad Neoftadienfes, et in provincias longe remotiores, veluti ad Bavaros, transportentur. Tradit Wiedeburgius [8]) cochleariam Armoraciam ex noftris regionibus usque ad extremos Turcarum fines transvectam effe. Sed haec et huius generis alia, quae in iuftà locorum defcriptione praetermitti non debebant, Weiffius aut ignoravit, aut diffimulavit, omninoque nihil protulit de regione noftra, quod non extenuarit dicendo, nihil, cui non aliquam labeculam adfperferit. Sic villas rufticas *ubivis* non nifi parvas confpexit, quemadmodum etiam urbi noftrae domorum fragilitatem et humorem, rheumatalgiarum fcilicet cauffas, exprobrat: *quemvis* ait rufticum vaccarum ope fuum agrum colere ipfum: incuriofus eorum, quae ad vindicandum hominibus liberum rerum, quas poffident, ufum et defendendam ex iure naturali omnium aequalitatem noftra aetate toties disputata funt, fummos civitatis curatores reprehendit, qui adempto primigeniturae privilegio, quum iam distribui queant agri, effecerint, ut inopia illorum hominum augeretur. At illi agricolae fi forte fando audierint, quam duris ipfos verbis verberarit, videat, quam ipfi gratiam relaturi fint:

8) *Befchreibung der Stadt Jena nach ihrer topograph. polit. u. akademifchen Verfaffung,* I. p. 71.

quamquam, ut ſunt homines ſimplices, verberationem tacito dumtaxat cogitationis convicio ulciſcentur. Accedit, quod in hac rerum ruſticarum cenſura non pauca omiſit, quae imprimis commendabilia ſunt, velut, quam ſupra attigi, vinearum culturam, frequentem in Ienenſi regione, et multo noſtratium ſtudio ad eum perfectionis gradum adductam, ut iam non, ſicut Lutheri et Melanchthonis aetate, vites Ienenſes *merum lacrimentur acetum*, ſed probum vinum praebeant, quod nonnumquam adeo fefelliſſe fertur erudita palata; omiſit etiam largiſſimos fructus, qui rei ruſticae melius inſtituendae et utilius adminiſtrandae ex ſchola oeconomica, Ienae condita, et nunc proveniunt, et inpoſterum, quis dubitet? ubi eius bona in plures pagos, veluti colonias, deducta fuerint, proventura ſunt: denique omiſit utilitates, quas etiam ruſtici ex inſtituto veterinario capiunt, certe capere poſſunt, quo Principes noſtri praeclarum rebus academicis incrementum addiderunt.

Tantum de ruſticis Ienenſibus. Brevioribus, ſed paene infeſtioribus telis Weiſſius *incolas ipſius urbis* aggreſſus eſt. Putabam, quum narrationis initium legerem, non agi niſi de egenis, quorum haud exiguum numerum in noſtra quoque urbe inveniri, tanto minus convenit prudentiae celare, quanto efficacius publica liberalitas, celſiſſimae adeo Principis illuſtri exemplo excitata, civium inopiae proſpexit. Sed ille, quae nonniſi in eos cadunt, qui egeſtatem labori praeponere inde a pueritia conſueverunt, rurſus ad omnes urbis incolas transfert, cunctosque uno quaſi modulo metitur. Torporem iis obiicit et pigritiam, quippe qui ignorare videantur, quae ſit digna hoc nomine gnavitas. Quod ne dumtaxat de egenis et mendicantibus intelligamus, obſtat adiecta mentio mercaturae, quam apud nos vix memoratu dignam eſſe pronunciat; obſtat commemoratio hominum, qui non niſi ex eo vivant, quod litterarum ſtudioſis res, quae ab iis deſiderentur, comparent; obſtat, quod opifices negavit,

quando res ad victum quam maxime neceſſarias ſibi quaeſierint, amplius vires ſuas exercere. Haec vero ſi intelligi de omnibus voluit, difficile eſt cavere, ne atra bile iecur tumeat. Dixeris, incompoſite ſcripſiſſe Weiſſium, et multa perverſe ſcribendo miſcuiſſe: concedo, ſed hac lege, eumdem ut inconſiderate et tantum non petulanter de civibus Ienenſibus ſcripſiſſe fateare.

Nam, ut ſingula repetam, de mercatura Ienenſi cur adeo ignominioſe pronunciavit? Quodſi Latine ſcribere didiciſſet, putarem ab eo deſiderari in urbe noſtra *mercatores*, quos Romani proprie dicebant, et cum nautis ſaepenumero iungebant: qualis ille fuit, quem Horatius dixit extremos ad Indos currere, et quales aetate noſtra partim Hamburgi, Bremae, Magdeburgi, Francofurti, Lipſiae iisque potiſſimum in locis conſpiciuntur, in quibus maritima commercia florent. Tales ſane mercatores non reperiuntur Ienae: ſed habemus nundinatores honeſtiſſimos, rem ſuam ſtrenue et proſpere agentes, moribus excultos, praeſentia diligenter curantes, providos futurorum, partim opulentos, ut qui argentariam quoque, qualis eſſe poteſt in modico oppido, ſcienter faciant, denique eos, quorum induſtria effectum eſt, ut parata ſit huic urbi rerum omnium bonarum facultas. Quid? ad illorum exemplum ſeſe aliorum hominum, qui inferiore loco ſunt, ſtudia ſic ſubinde applicuerunt, ut non dubitem in Ienam noſtram transferre, quod Gesnerus [9]) de Gottinga ſua praedicavit: „Ne beatiores quidem habent, quod deſiderent: quum adſint vel praemiis aliunde invitati, vel, quum iam adeſſent, lucri ſpe ad audendum amplius allecti, non Terentiani illi modo cupediarii, cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, ſed vini etiam diverſarum patriarum et generum, aliarumque rerum, quibus negatis delicatiores dolere ſolent, mercatores.“

---

9) Lib. not. 5 laud. p. 395.

De *opificibus* quid dicam, quos, parato utcumque victu, non amplius vires exercere, curasque et labores fugere omnes Weiſſius contendit? Puderet nos pigeretque, inter eiusmodi homines vitam agere, ſi ad *omnes* hoc pertineret opprobrium: ſin ad nonnullos, ſin ad paucos, grave illud quidem eſt, ſed non tale, opinamur, quod univerſae urbi invidiam conflare apud prudentes poſſit, niſi quis forte urbem, magnam, parvam, norit, in qua non ſimilia de nonnullis opificibus narrari queant, quibus ſi diſſertationes academicas implere placeat, copioſa profecto candidatis ſcribendi materia ſuppeditetur. Et fuerunt apud nos, atque etiam nunc ſunt opifices, quos rectius artifices appelles, qui aſſiduo ſtudio et pertinaci labore eam ſibi comparaverunt artis peritiam, tamque affabre facta opera, lignea imprimis et aerea, produxerunt, ut Divus Carolus Auguſtus, qua erat et humanitate et artium cura, non raro officinas illorum viſeret, operantes laudando et hortando excitaret, ipſis denique, quae perfeciſſent, operibus ſplendidiſſimam arcem ſuam, quae Vimariae eſt, condecorare non dedignaretur. Ipſe ſum iuſſus comitari eum aliquoties, quum tale opus non ſibi, ſed Regi Boruſſorum, cui forte ſimile Vimariae viſum valde placuiſſet, a fabro aerario, ſolertiſſimo homine, procuraret, et quo modo fabricaretur, in officina inſpiceret. — Haeccine vero effici poſſunt ab hominibus, quales ille depinxit, pigritia torpentibus, culturae expertibus, qui ſimulatque vitae neceſſitatibus utcumque proſpexerint, vires ſuas non amplius exerceant? — Quos denique nobis narrat homines, qui inopes ad hoſpitia publica ſe recipiant, qui aegrotantes gratuitum auxilium ab inſtitutis clinicis ſumma ſaepe cum impudentia poſtulent, atque in peſſimum uſum convertant? Ex hoc genere oppido paucos eſſe, eosque non ex claſſe civium, ſed de infima plebe, percontantibus nobis reſponſum eſt. Poſtremo quid illud eſt, quod

ita univerſe ſcripſit, „incolas huius urbis, etſi animi excolendi curas non magnas egerint, ſatis tamen linguam Latinam callere, quin neſciant, quid ſit illud: cerevifiam bibunt homines. Hanc enim cerevifiam, inquit, magis ad vitam neceſſariam credunt, quam ipſum panem.“ Latine doctiores ut ſint cives noſtri oppidani, nolit optare Weiſſius, ne *arbores neceſſarios* et alia huius generis ex diſſertatione ipſi obiiciant. Quod illis obiecit crimen, ſi crimen eſt, defendent fortaſſe ii, in quos cadit, Monacenſium, Berolinenſium aliorumque oppidanorum exemplo: quam recte, non dixerim; hoc certe conſtat, illarum urbium incolas ea de cauſſa numquam fuiſſe a quoquam in Megarenſium numero habitos [10]). Nec fortaſſe Weiſſius id dixit ignominiae cauſſa, ſed quod ipſe in cerevifiae mentione magnopere ſibi placere videtur. Etenim iam antea, ubi de ruſticis Ienenſibus loquitur, haud oblitus eſt tres pagos nominare, qui ex peculiari quadam cerevifiae coquendae ratione modicum quaeſtum habeant. Sed hac de re viderint alii. Nos mittamus cerevifiam, cui, quisquis velit, vina exotica ſubſtituat: remittamus etiam ſcriptori, quicquid per feſtinationem ac temeritatem (malitiam enim procul ab eo abeſſe confidimus) de Ienenſibus ita narravit, ut magnam iis iniuriam inferret. Quodſi quando, firmior iudicio, apud animum reputaverit, quid Ienae debeat, et quam gratiam urbis incolis retulerit: ſperamus futurum, ut ſuomet ipſe libello magis iraſcatur, quam Ienenſes ſuccenſuerunt.

---

10) Exſtat oraculum Megarenſibus olim datum, quod ob fugam vacui, ut Wolfius dicere ſolebat, hic ſubiiciam:

Γαίης μὲν πάσης τὸ Πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον,
Ἵπποι Θρηΐκιαι, Λακεδαιμονίαι δὲ γυναῖκες,
Ἄνδρες δ', οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶνδ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἵτε μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι, καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου,
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες, κέντρα πτολέμοιο.
Ὑμεῖς δ' ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Pervenimus tandem ad primarium edendae huius scriptionis consilium. Acta sunt enim hesterno die solemnia illa anniversaria, quibus civium academicorum industria et doctrina praemiis, serenissimorum Principum liberalitate constitutis, publice condecoratur. Itaque in panegyri hesterna dicendum erat de certaminum, quae hoc anno obtigerant, eventu; Ordinum academicorum sententiae de exhibitis speciminibus erant declarandae; denique novae quaestiones in proximum annum proponendae. Quae quidem, promulgata a nobis ex cathedra, quum nunc scripto repetenda sint illorum caussa, qui et sententias Ordinum et novorum certaminum argumenta cognoscerere accuratius cupiunt: vix hoc fieri commodius posse intelligo, quam si oratiunculam, quemadmodum a me habita est in concione, subiungam. *Oratiunculam* dixi, quum in promptu non sit modestius vocabulum: quod si tamen nonnullis, vim omnem et copiam et artem oratoriam in ea iure desiderantibus, nimis superbum videbitur, respiciant, quaeso, huius libelli titulum, qui non orationem, sed narrationem promittit.

Scr. Ienae, die V Septembr. anno a Chr. n. MDCCCXLI.

AVDITORES.

Quod ego, gravi ac diuturno morbo implicitus, non ſperaveram futurum, ut rurſus in concionem veſtram prodirem, et ex hac cathedra verba ad vos facerem, id quum per ſingularem ſummi Numinis benignitatem mihi contigerit, primum expromendi ſunt laetitiae ſenſus, agendaeque Deo gratiae, qui vos mihi, me muneri meo reddiderit. Deinde veſtra, AA., indulgentia imploranda eſt, ut patiamini eo me hodie dicendi genere uti, quod valetudinis meae rationi aptum ſit. Saepe iam vos, patientia veſtra abuſus, longis ex hoc loco orationibus fatigavi: neque umquam, ſi qua mihi facultas dicendi eſt, ea viſa fuit magis ad eloquendum valuiſſe, quam hoc cuiusque anni menſe et his ipſis menſis diebus, qui vehementer animum duabus de cauſſis commovere ſolent. Primum enim in memoriam revocant Eum, cui et ego omnia et Academia plurima debemus, Divum Carolum Auguſtum, qui ſi adhuc in vivis eſſet, heſterno die natalem ſuum, congratulantibus bonis omnibus, celebraturus erat: deinde ea res agitur, quae veſtris cum ſtudiis, Commilitones, coniunctiſſima eſt, nobisque copiam facit doctrinam veſtram laudandi, induſtriam praemiis condecorandi. Vtramque ego rem ita conſuevi mente et cogitatione coniungere, ut mecum tacite reputem, quantum Divus ille (nam hoc ei nomen proprie debetur) gaudium percepturus eſſet, ſi

institutum, cuius ipse potissimum suasor et auctor exstitisset, non solum perdurare videret in Academia nostra, sed laetioribus in annos fructibus efflorescere. Sed iam paene nimium quoddam dixi. Etenim hic quem agimus annus non tales nobis tulit fructus, quales a vobis, carissimi Cives, exspectabamus. In magno numero vestro, quem laeti intuemur, non fuerunt nisi duo, qui inire certamina et palmam appetere vellent, quorum uni dumtaxat primarium praemium decretum est. Quod quum alio tempore valdius dolerem, nunc non aequo quidem animo ferendum puto, sed affert tamen mihi aliquid vel excusationis vel solatii, quum ad eam breviter dicendi caussam, quae est in mea valetudine, accedere cernam sponte oblatam alteram, quam ipsa illorum, qui contendere cupierunt, paucitas suppeditat. Multitudo enim aemulantium inflammat dicentis animum, paucitas ardorem restinguit. Nolite igitur aut mirari, AA., aut mihi succensere, si casum fortuitum in utilitatem meam convertam, et missis ambagibus rem ipsam, propter quam huc convenimus, statim aggrediar.

Agam vero sic, ut sententias iudicum plane, sicut traditas accepi, cognoscatis integras, ne uno quidem verbo immutatas.

ORDO THEOLOGORVM

superiore anno hanc quaestionem proposuerat:

Hebraeorum Iudaeorumque res Messiana cum doctrina Apostolorum de Christo ita comparetur, ut ratio, quae inter utramque intercedat, eluceat.

Quam unus solvere instituit oblato libello, *I. A. Ernesti* verbis inscripto his: „*Vides tu, o bone, Christum in V. T., ubi alius aut omnino non, aut non ita clare videt, ut tu vel vides, vel videre te putas; vide eum tibi et gratias age Deo. Sed fac, ut eum in cor*

cum eius mansuetudine et lenitate recipias, ne frustra videris. Ille vero alter eum alibi pariter videt, si non ubique in V. T. satis clare, ut dubitet, haereat, per umbram modo; at in N. T. videt in clara luce refulgentem, et pro eius claritatis beneficio gratias agit Deo." In quo libello plurimum laudanda videbatur rerum theologicarum, quoad librorum eae sacrorum interpretatione continentur, peritia, etiam iudicandi libertas et theologica auctoris sententia. Neque tamen aequali diligentia usus est in disputandis singulis commentationis partibus omnibus, neque scripta theologorum et decreta adhibuit omnia, praesertim recentissimae aetatis quae exstitere. Atque ex illo genere potissimum reprehendendum videbatur, quod tertiam libelli partem, gravissimam ex Ordinis sententia, omnino et brevius et negligentius exposuerit, magis intentus in argumenti initia. Sunt vero in his quoque culpanda aliqua. Neque enim disputationem de Messianae spei et caussis et vicissitudinibus atque formis prorsus confecit. Deinde in describenda apostolorum sententia inter alia exponere debebat, primitiva Christianorum aetas, licet summam Messiae notionem prorsus aliam ac Iudaei sibi informaverit post Iesu discessum, partem tamen imaginum aliquam quibus modis repetierit, relatam quidem ad futurum aliquem Christi in terras reditum. Sermone autem usus est auctor neque casto omnino neque expedito. Quae omnia fecerunt, ut *secundo* praemio ornandum censeret Ordo commentationis auctorem, quod impetrabit, nomen suum quum apud Decanum professus fuerit.*)

---

*) Cerimonia peracta, nomen suum professus est iuvenis humanissimus,
GVSTAVVS FRANCISCVS ADOLPHVS SCHVMACHERVS,
Gothanus, Theol. Candidatus.

Novam autem Ordo Theologorum quaeſtionem proponit:

Recentiſſimorum theologorum ſententiae de authentia epiſtolarum, quae p a ſt o r a l e s *vulgo dicuntur et Paulinae habentur, colligantur, diiudicentur et de nexu exponatur, qui epiſtolis iſtis cum rebus eccleſiae antiquiſſimis intercedit.*

ORDO IVRECONSVLTORVM

poſtulaverat,

ut explicarentur principia iuris Romani de implendis ultimarum voluntatum conditionibus, ita ut imprimis variae iurisconſultorum opiniones de quaeſtione, quando conditio non impleta pro impleta habenda ſit, comparentur.

Vna eſt ordini oblata commentatio, inſignita dicto Horatii: *Tu nihil invita dices faciesve Minerva.*

Auctor omnem thematis propoſiti materiam magna induſtria perſcrutatus eſt, eamque non modo ſolerter diſpoſuit, verum etiam ſi pauca excipias, in quibus lapſus eſt, diligenter et cum ingenio pertractavit. Eo magis eſt dolendum, quod non parem dictioni adhibuit diligentiam, ſed uſus ſtilo eſt, potiſſimum a media commentatione ad finem usque, inculto ac ſermone paſſim mendis inquinato. Quae tamen vitia, quum e feſtinatione nata et eiusmodi viderentur, ut ab auctore ipſo facile tolli poſſent, haud impedire Ordinem potuerunt, quo minus eum ***primario*** **praemio dignum iudicaret; ea tamen lege id ei tribuendum cenſuit, ut auctor commentationem ſuam, antequam typis exſcriberetur, a ſe emendatam, denuo Ordinis iudicio ſubiiceret.**

Aperta schedula nomen ostendit

IVLII HENRICI TOEPFERI

Stud. iur. Arnstadiensis

quem iam concentus musici victorem salutabunt. — —

Atque ego te, humanissime Toepfere, ex cathedra saluto. Consequutus es victoriam ἀκονιτί, sine certamine; attamen victoria est: cuius praeconio quum gratulationem ex tempore adiicere consuerim, aptam victoribus iis, quos ego norim, nunc quod tibi proprie dicam, non habeo, quandoquidem nomen tuum hodie primum mihi innotuit. Vnum tamen est, quod sententia Ordinis illustris, de specimine tuo lata, mihi suppeditet. Quae sane valde honorifica est, quoad res spectat a te tractatas: laudatur enim industria tua in perscrutando, solertia in disponendo: at reprehenditur „stilus incultus ac sermo passim mendis inquinatus.“ Discas igitur auctoritate tantorum iudicum, tuoque exemplo discant commilitones tui, iurum studiosi, ad plenam et integram laudem consequendam non satis esse, si quis res vel doctrinas cognorit (quamquam hoc primarium est), requiri etiam rectam atque elegantem rerum expositionem, quae peti non potest nisi ex iis studiis, quae ad humanitatem pertinent. Multi sunt hodie, nec solum inter iurisconsultos, qui haec studia negligant, maximeque Latinae linguae usum contemnant, suntque tanto impudentiores eius contemptores, quanto magis, quod despiciunt, ipsi nesciant: inveniuntur adeo iam Academiae, ex quibus haec lingua exsulare coeperit. Quam perversitatem bonus Genius a nostra Academia procul averruncet. Sed ut haec Latine scribendi ratio ne inculta et mendis inquinata exsistat, redeundum est ad scripta veterum, insistendum accuratae illorum lectioni atque imitationi. Denique, quod Ordinis sententia satis declarat, philologia non impune contemni se patitur.

In proximum annum Ordo Ictorum thema proponit hoc:

Exponatur beneficii, quod vocant excussionis, natura ac potestas.

ORDO MEDICORVM

postulaverat,

ut pharmaca, quae pupulum coartant, tam ex observatis aliorum, quam ex periculis consulto factis, conquirantur.

Quum nemo fuerit, qui satisfacere quaestioni conaretur, Ordo gratiosus eamdem iterum proximo certamini proponit.

Nec fuit, qui *naturalem quaestionem* tractaret. Itaque hanc novam, Germanico sermone tractandam, in proximum annum his verbis Germanicis declaravit:

Es wird eine Darstellung und Beurtheilung der Thatsachen und Gründe verlangt, welche für und gegen den Einfluss des Mondes auf die Organismen überhaupt, insbesondere auf den Menschen, im gesunden und kranken Zustande, sprechen.

ORDO PHILOSOPHORVM

cui nec ipsi ulla facta est copia de praemiis certaminum decernendi, duas in proximum annum quaestiones proponere decrevit, unam philologam, alteram mathematicam.

Philologa haec est:

Cn. Naevii, poetae Romani, narretur vita, componantur carminum reliquiae, poesisque tota ratio exponatur.

Mathematica haec placuit:

Postulat Ordo methodi veterum, quam ab exhauriendo appellamus (Exhaustionsmethode), accuratam et rem singulatim tractantem,

comparationem cum analysi infinitorum nostri temporis. Inquiratur praecipue, an haec methodus, quae in operibus Euclidis, Archimedis, Pappi quam maxime exculta invenitur, deinde vero apud Lucam Valerium, Kepplerum, Cavalerium, Fermatium, Robervalium, Wallisium et alios plus minusve mutata est, principia calculi differentialis Leibnitii nostri iam contineat. Conspectum huius problematis exponendi et librorum conferendorum praebent Klügelii lexici mathematici loci: Exhaustionsmethode, Cavaleri's Methode und Differentialrechnung.

Haec erant vobis promulganda, Commilitones. Faxit Deus, ut eximia Principum nostrorum liberalitas et propensa Patrum erga vos voluntas studia vestra excitent atque aemulationem incendant, neu certamina, ad quae vos rursus vocamus, prospero eventu destituantur.

LEGES CERTAMINVM.

I.

Quinae quotannis quaeſtiones publice proponuntor ſolvendae iis, qui in Academia Ienenſi litterarum ſtudio tenentur; una a Theologorum, altera ab Iureconſultorum, tertia a Medicorum, binae a Philoſophorum Ordine.

II.

Binarum quaeſtionum, quae ab Ordine Philoſophorum in medium proferuntur, altera ſemper philologici eſto argumenti, altera vel ad hiſtoriam, vel ad philoſophiam, vel ad phyſicam, vel ad matheſin mutatis vicibus ſpectato.

III.

Cuius commentatio, de propoſita quadam quaeſtione conſcripta, aut ſi aemulas non habeat, in univerſum ſatisfecit eorum, quorum iudicio ſubiecta eſt, exſpectationi, aut prae ceteris maxime probata eſt, is palmam ferto et quadraginta melioris notae thaleris honorator; contra cuius ſcriptio proxime ad illam acceſſiſſe iudicata eſt, is ſecundo dignus praemio habetor, et viginti eiusdem monetae thaleris donator.

IV.

De tempore, quo quidque fiat, ſic ſtatutum eſt, ut primo quoque menſis Septembris die Saturni et praemia decernantur victoribus, et novae quaeſtiones proponantur, ante Calendas autem Iulias civium commentationes deferantur.

V.

De praemio certare vel etiam ſperare non licitum eſt niſi iis, qui per id ipſum tempus, quo commentationem ſuam ſcribebant, Ienae ſtudiorum cauſſa verſati ſunt, et qui nulla ſe aliorum ope in ea re adiutos eſſe, ſi forte opus ſit, fide ſua interpoſita affirmare poſſunt. Ceterum qui in tali opere occupatus eſt, ne is liberum ſe eſſe iis legibus opinator, quibus de ſcholis academicis aſſidue adeundis cautum eſt.

VI.

Quae admitti ad certamen commentationes volent, Latino ſermone, ni quid ſecus iuſſum fuerit, compoſitae atque aliena manu munde et perſpicue ſcriptae ante Calendas Iulias redduntor Decano eius Ordinis, ex cuius diſciplina quaeſtionis argumentum petitum eſt. Prima commentationis pagina tituli loco dictum aliquod aut ſententiam inſcriptam habeto, cognomen autem et nomen auctoris eiusdemque patria in ſingulari quadam ſchedula indicator. Eaque ſchedula in involucro, ſententia iſta inſcripto, et ſigillo tali, ex quo de auctoris nomine coniectura fieri nequeat, conſignato inclusa commentationi adiicitor. Has leges qui non diligenter obſervaverit, praemii expetendi ius amittit.

VII.

Quae commentatio praemio mereatur ornari, eius rei arbitrium penes eum eſto Ordinem, a quo propoſita quaeſtio eſt.

VIII.

Quae de miſſis commentationibus ſententiae ab Ordinibus latae ſunt, ſicut novae quaeſtiones ab iisdem propoſitae, primo quoque menſis Septembris die Saturni in aula Academiae a Profeſſore Eloquentiae Latina oratione promulgantor.

IX.

Idem eorum nomina, qui digni primario praemio iudicati ſunt, reſignatis ſchedulis pronunciato; contra quorum ſcriptiones ſecundo praemio ornare viſum eſt, eorum nomina ipſo iſto feſto die ne promulgantor, ſed ipſorum permiſſum ſit arbitrio auctorum, utrum publice nuncupari et honorari, an eamdem cum ceteris praemii competitoribus ſortem habere malint. Horum enim ſchedulae non reſignatae cum ipſis eorum commentationibus in publicis Ordinum tabulariis deponuntor, niſi quas adiecerint picturas lineares aut aliud quiddam, ſua manu confectum, quae, ſi poſtulent, redduntor.

X.

Conſtituta honoraria Decanus acceptis apochis exſolvito. Eorumque nulla eſto creditoribus petitio.

XI.

Commentationes eae, quibus primarium praemium decretum eſt, ſumptibus Academiae typis excuduntor, atque auctoribus exempla, quae ſufficere viſa

fuerint, redduntor, hac tamen lege, ut eas plagulas, quae senarium numerum excedant, suo quisque auctor aere evulget. Sed qui secundum tulerunt praemium, si scriptiones suas ad notitiam publicam celebrari volent, eas ipsi typis exscribendas curabunt.

XII.

Nova praeterea concertatio novaque praemia sedecim annis post huius instituti primordia primamque legum sanctionem constituta sunt memoriae conventus decimi quarti, quem rerum naturalium et medicarum perscrutatores anno 1836 Ienae celebrarunt. Hoc certamen iisdem fere adstrictum est legibus, quibus cetera tenentur; sed non spectat nisi ad quaestiones naturales: quarum una secundo quoque anno alternis ab Ordine Medicorum et ab Ordine Philosophorum proponetur; ab eodem, qui proposuit, Ordine victrici scriptioni praemium, idque pariter quadraginta imperialium, decernetur. Secundum praemium qui meruit, is numum argenteum, in eiusdem conventus memoriam cusum, accipiet. Haec autem scripta tradenda sunt Decano ante Calendas Iunias, neque publicis sumptibus excuduntur. Quae commentatio praemio ornata est, deponetur in tabulario, unde, qui volet, exemplum sumere suosque convertere in usus possit: ceteras commentationes repetere a Decano licet.